

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

DA BOX

№ 1420.



M. Tuscher fecit

BIBLIO REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

Divinâ aſpirante gratiâ.

Themata
DE LACHRYMIS
Phyſica:

Quæ

SUB PRÆSIDIO VIRI HUMANISSIMI, M. IACOBI COCI, IN ILLUSTRI, quæ VViteberga eſt, Academiâ, ventilanda proponit,

IOANNES EMERICUS, SIL.

Futura eſt diſputatio ad diem 5. Febr: horâ & loco conſuetis.

WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj,
Anno M. D. XCVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

OLIGERO ROSENCRANTZ,
Nobili Dano, Domino, Fautori plurimùm honorando.

MAximam eſſe vim exemplorum in actionibus humanis tùm ſuſcipiendis, tum omittendis, Nobiliſs. Roſencrantz. *nemo eſt, qui ignoret. Cæterum non tantoperè deploranda eſſet aſsiduitas hæc, niſi errorem plærunq; comitem haberet: Eò enim res rediјt, ut multi nihil agant, niſi actum ſit ab aliis parùm penſitantes, benè ne an ſecùs: Vndè fit, ut errent plurimi, ac errorem demum profeſſi ſuum, non aliud prætendant, quàm ingentem numerum dari eorum, quos imitati ſint. Sunt alij, qui certos quosdam, tanquam amuſſim rerum gerendarum ſibi delegerunt, à quibus ſi vel latum ungvem diſcedere jubeantur, religionem, aut certè eâ quid majus ſe violaturos autument. Omnibus his jam olim vox digniſſima extitit: O imitatores ſervum pecus. Hæc quæ dixi nullibi magis, quàm in Philoſophicis comprobari videntur actionibus. Hìc profectò Imitatores ſervum pecus. Cur quibusdam, isq; nobilioribus ſtudia Philoſophica tantoperè ſordent? quia vident, paucis eorum curam fuiſſe. Cur paucos alios Genere conſpicuos contrarium factitantes aſpernantur? quia ajunt, plurimos ſecum ſentire. Periclitaretur profectò Reſpubl. Philoſophorum, niſi eſſent ex præcipuis aliqui, qui contrà irent, quorum tanta vis eſt, ut quia boni ſunt, malos plures facilè retundere queant. In horum numero Tu* Nobiliſs. Roſencrantz *eſſe videris: in quem olim oculos & mentem defigebamus, & nunc cum recordatione tui jucunda reflectimus. Tu eras ille, cum VVitebergæ nuper in caſtris Philoſophicis tàm ſtrenuè militares, in quem tanquam exemplum nobilitatis inſigne, & decus literarum eximium intuerentur multi, iq; optimi. Non imitatores pravos imitatus, promiſcuè quosvis evolvebas: & quod majus, in colloquium aſſciſcebas eos, qui acumine ingenij præſtare viderentur alijs. Eapropter cordatiorum hæc de te ſententia fuit unanimis: Ad ſumma quæq; te natum eſſe. Cæterum quemadmodum præſentem te propter ornamenta hæc & ſuſpiciebant & complectebantur ex optimis multi: ita digreſſum nunc & abſentem venerantur iidem, tanquam eum, qui & alios benè fuerit imitatus, & nunc tanquàm exemplar egregium poſitus ſit. In bonorum numero, me quoq; eſſe profiteor, (vincit enim veritas verecundiam) qui, quanti te fecerim olim & adhuc faciam, dudum ſi non inſigni, aliquo ſaltem argumento declarare volui: idq; nunc facuo theſium mearum phyſicarum dedicatione, quas tibi dono, judicioq; tuo polito ſubijcio. Cæterum ne id ſine tuo in me præmio fiat, erit magni cujusdam inſtar, ſi mihi, indigno quamvis favere perrexeris. Vale perpetuùm* Nobiliſs. Roſencrantz, *literarum & Generis tui decus eximium, VVitebergæ Anno 97. die 27. Ianuarij.*

T. N. Studioſ.

Ioannes Emericus Sil.

DE LACHRYMIS.

QUi terrenam hanc ſedem Lachrymarum vallem ἄνευ λόγου, vel inconcinnè nuncupatam putant: næ illi quid in vitâ hominum frequenter fiat, haud ſatis annotaſſe videntur. Quoquò enim oculos cum attentione convertas, aut lachrymari videbis alios: aut certè debere, quamvis errore quodam id non faciant, angulis quippè omnibus lachrymarum cauſis affatim abundantibus. Quapropter operæprecium fuerit, de naturâ lachrymarum aliquantulum contuliſſe, cum ejus ſint frequentiæ, ut riderenè an lachrymari magis propriè homini accidat, ferè addubites.

I.

ΔΑκρύων & lachrymarum uſus vocum, in Graïo & Latio inolevêre foro, idem ſignantium: altera alterutri num origini ſit, an diſtinctis diſtincta: quæ ratio impoſitionis, ab effectône, an efficiente depromta, illorum curæ demandamus, qui grammaticè affecti ſunt: ſatis eſt nunc, ſi de rebus, ad quas unicè tendimus, nobis conſtet.

II.

Quô conſiliô ita definimus: Lachrymæ ſunt humoris aquoſi, propter compreſſionem voluntariam ad carunculas lachrymales expreſſio.

III.

Vt propius naturam definiti tàm intueri, quàm rectiùs apprehendere queamus, ſingula reſumemus: & tùm, quæ, ubi, quàm rectè poſita ſint, penſitabimus: tùm quæ ex poſitis colligi poſſint, videbimus.

IV.

Prioris gratiâ, quid Generis quid Differentiæ loco in definitione poſitum ſit, inquiremus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

V.

Ad Evacuationem aliqualem referri debere lachrymas, nemini non patet: ut proinde genus tàm facilè ſubintelligi, quàm poni poſſit.

VI.

Differentia in cauſarum ſita eſt contemplatione, & ſubjecti.

VII.

Illæ ſunt, Materialis & Formalis: Vtriſq; verò ſuæ competunt viciſſim cauſæ: Et ut Formalis una, ita altera multas ſui diſtinctiones patitur.

VIII.

Materia, reſpectu compoſiti, tùm determinata tùm indeterminata dici poteſt.

IX.

Determinata eſt humor aquoſus ſeu ichoroſus, qui jam ipſum formale indutus, altera pars compoſiti, id eſt, lachrymarum eſt, cumq; his ſedem eandem occupat.

X.

Conſideratur ratione ſubjecti, cujus in definitione facta eſt mentio; cumq; lachrymis ipſis coincidit.

XI.

Ratione accidentium Propriorum quidem, dum ſeroſus ſeu ichoroſus appellatur: hoc enim materiæ lachrymarum per ſe, atq; intrinſecè competit.

XII.

Adventitiorum, quorum plura ſunt, ſita tùm in Qualitatibus tùm in humoribus ipſis.

XIII.

Quantum ſpectat primas: humor ille aliquando calidior, aliquando frigidior: quantum ſecundas; copioſior, craſſior, tenuior.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

XIV.

Adjunctorum iſtorum cauſæ tùm ab externis, tùm internis haberi poſſunt, ac non citra diſtinctionem.

XV.

Calidiorem reddit calor tùm externus tùm internus ſecundum naturam ſuam agens, ſivè in humore fuerit antea, ſivè extra eundem, ut in vaſis per quæ olim ille labebatur.

XVI.

Frigidiorem cauſa contraria principaliter, cum eadem diſtinctione: cui aliæ plures adveniunt, ut concoctrix imbecilla, partium laxitas, &c.

XVII.

De materiæ antegreſſæ conditionibus, ex quibus accidentia hæc oriri poſſunt, nihil dicemus: cum conſtet ea interdum à ſola productrice, interdum à pluribus ſimul originem traxiſſe.

XVIII.

Craſſiorem faciunt calor abundans, concoctrix robuſta: Tenuior eandem penè cum frigidiore originem habet.

XIX.

Copioſior à pluribus cauſatur: Nam materia ejus remotior, vel copioſa eſt; vel concoctrix vel retentrix laborat; pertinent hûc partium inſignis laxitas, pluresvè aliæ.

XX.

Huc referimus aridiorem, ut quam plerunq; gignat caliditas, & quæ humori bilioſo nativa eſt, qualitas. Salſam à calore produci exiſtimavit Philoſophus, cui addimus vaporem ejusdem qualitatis.

XXI.

Qualitates alias, numero vel majori vel minori concurrentes, indagare non lubet in tanta brevitate, cùm & ſapienti ſat dictũ videatur: & ex contrarijs de contrarijs multa colligere liceat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

XXII.

Præter qualitates haſcè materiæ lachrymalis, nonnunquam humores alij eidem commiſcentur, ſuis de cauſis.

XXIII.

In horum numero eſt pituita, catharralis, alijvè deſtillantes, pluresvé, cum remotâ materiâ aliquando ſedes eaſdem ingreſſi, atq; hûc tandem derivati.

XXIV.

Sed horum & plurium, ubi de materiâ indeterminatâ nobis ſermo futurus eſt, ratio evidentiùs conſtabit.

Hactenus materiam determinatam undiquaq; contemplati ſumus, ſupereſt, ut eam quoq; quæ materiæ nomine, viâ tamen remotiori adventat, intueamur.

XXV.

Indeterminatam eam appellamus, quæ lachrymarum pars fieri poteſt, nondumq; eſt: ſed tùm ab ijs, tùm ſede earundem magis vel minus diſtat.

XXVI.

Vt proindè per indeterminatam eam, quæ in potentiâ eſt intelligamus: per determinatam, quæ actu hoc ipſum obtinet, ut materia & quidem lachrymarum propria dicatur.

XXVII.

De illâ miris modis jam olim fuerunt concertationes, non tàm riſu quam lachrymis dignæ: cum viderent omnes, quam nam lachrymantes materiam excuterent, at quæ illa alibi eſſet, & ubi, cum ignorarent, ſecundum capita plura plures protulêre ſententias; adeò ut diſcipuli interdum improbarent ea, quæ dictitaſſent præceptores; quas, cum brevitatem non ferant, σιωπῇ relinquemus.

Qua-

XXVIII.

Quapropter conſiliô hoc ad veriora contendentes, dicimus, eam eſſe ſanguinis ſerum ſeu ἰχῶρ. Hanc tùm abſolutè, tùm in relatione videbimus.

XXIX.

Per ſe conſiderata definitione explicatur, quæ eſt. Quòd ἰχῶρ ſit humor, ſeu excrementum concoctionis in epate peractæ aqueum, ſanguini ad varias corporis partes migraturo, vehiculi loco donatum.

XXX.

Quoad iſtam conſideratione̅ humor hic indeterminatè ſe habet, tùm ad ſudores, tùm ad urinas, tùm ad lachrymas, cum ex unô hoc poſsint fieri omnia.

XXXI.

In relatione conſideratur, tùm quoad cauſas, tùm quoad loca: quæq́ ei adveniunt accidentia. Cauſæ poſſunt eſſe Efficiens et Materialis.

XXXII.

Cæterum rationem productionis ab efficiente, tanquam alibi explicatam in illorum locô habemus, quæ aliàs præcognita appellari conſueverunt.

XXXIII.

Præterea reliquas ejus cauſas velle inquirere, ut ex quibus edulijs, per ſe & copioſior: è quibus facilius difficiliusq́ producatur, alterius, & generalioris disquiſitionis eſſe videtur: hûc enim accenſendæ eſſent res non naturales omnes cum latitudine aliquâ.

XXXIV.

Nomine locorum remotiorum veniunt, tùm ſanguis, tùm vaſa: ille eſt, cum quo vehitur, ab oculis diſtantior paulò, ab epate tanquam principio initium ſumendo.

Eâdem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

XXXV.

Eâdem cum diſtinctione vaſa ſe habent, commune & huic & ſanguini domicilium, per quæ utraq; vehuntur.

XXXVI.

Ex remotiſſimis illud erit, quod primò omnium mittit: hinc reliqua intelligantur, quæ mittentium & recipientium vicem ſubeunt.

XXXVII.

Prædictis aliquali jure annumeramus illas corporis partes, quæ ob humiditatem, quâ occupantur, vapores ſpargunt.

XXXVIII.

Minus remotorum vicem ſubeunt, utraq; oculis propinqua magis: inprimis in capite receptacula diverſa, ut ſunt Cerebrum, cum Venis, alijsq;, oculorum lachrymalem ſedem contingentibus.

XXXIX.

Plura hîc concurrere & Anatomicorum fides, & Experientia propter lachrymarum ſæpènumero copiam, ut ſtatuamus, evincunt.

XL.

Plurimum tribuitur venis, tùm intra, tùm extra calvariam deſcendentibus: his verò adhûc plus.

XLI

Ac quidem pro ſubjecto Materiæ hujus proximo haberi debent partes, quæcunq; illæ ſint, quæ ob cauſas comprimentes materiam contentam ſuô modô in ſedem lachrymarum jam jam deponere poſſunt.

XLII.

Qui multum acceptum ferunt glandulоſis partibus propè oculos, à Fallopij obſervatis diſſentire videntur: hic enim cum alijs, officium hoc magna ex parte defert meatibus, in palpebrarum regione latitantibus, quorum tanta perhibetur eſſe anguſtia, ut in

cadave-

cadaveribus propter concidentiam vel vix, vel obſcurè notari queant. Fides eſto penes obſervatores.

XLIII.

Accidentia Materiæ remotæ ubicunq́ locorum contentæ, eadem plæraq́ eſſe poſſunt, cum ſuperioribus, ab ijsdemq́ cauſis introducta, ejusdem itaq́ conſiderationis: quod tùm de qualitatibus ſolis, tùm de concurſu aliorum humorum accipiendum eſt.

Tantùm de Materia Universâ, ſecundum varios conſiderandi modos.

XLIV.

Forma eſt eruptio ſeu expreſſio materiæ determinatæ ad carunculas lachrymales.

XLV.

Nam humor ille determinatus, in quantum ob efficientes ſuas erumpit ad locum hunc, formam lachrymarum induit.

XLVI.

Hujus Efficientes inquirendæ ſunt, & non ſine diſtinctione, alia enim per ſe, alia ex accidenti adeſt.

XLVII.

Per ſe, quæ et proxima, compreſſio eſt Voluntaria partium, materiam determinatam continentium.

XLVIII.

Hæc ſubalternatur alijs, & quidem pluribus: ſuntq́ Voluntas & inſtrumenta Voluntaria: horum nomine ſubintelligimus partes quascunq́, præcipuè viciniores, muſculoſasq́ faciei, compreſſionem ad voluntatis juſſa exequentes.

XLIX.

Voluntas hìc tùm activè, tùm paſſivè, ſe habere poteſt. Activè quidem quatenus hanc compreſſionem & vult & efficit: Voluntati interim inſtrumenta per quæ agit, non detrahimus, de quibus modò.

Paſſivè verò, quatenus irritata agit, atq́ intellectus imperio paret.

LI.

Vt proinde nullæ veræ lachrymæ fiant, niſi voluntas ab intellectu magis vel minus operante juſſa, in hujuſmodi compreſſionem conſentiat: & vel hac ſolâ ratione, ut brutis denegamus, ita infantibus veras lachrymas non detrahimus.

LII.

Porrò, quemadmodum voluntas non agit niſi ab intellectu mota: ita intellectus non niſi irritetur: quæ hoc faciunt, objecta ſunt, paſſionem inferentia, tùm mediatè, tùm immediatè.

LIII.

Immediatè faciunt timor, mortis cogitatio, mœror, melancholia, ſimilesq́ animi perturbationes.

LIV.

Mediatè, partium πάθη *tùm nobiliorum, ut Cordis, Cerebri: tùm ignobiliorum aliarum affectiones dolorificæ, ſive in continui ſolutione, ſive intemperie ſpectentur. Atq́ hæc interna ſunt.*

LV.

Externa ſunt, quæcunq́ pathemata illa externâ ratione introducunt, ut ſunt obitus nobis chariſſimorum, ereptiones facultatum, ablationes rerum dilectarũ, id quod in diſceſſu amicorum, & repulſam in amore præter ſpem ferentium videre eſt.

LVI.

Deniq́ hûc accenſemus omnes cauſas dolorem in corpore ſuſcitantes, ſive continui ſolutione, ſive intemperie, id fiat: quò pertinent topica Medicis appellata, dolorem excitantia, quo animus tandem pungatur.

LVII.

Objecta ergò ſunt, à quibus quaſi primò fit motus, donec ani-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

mæ operationibus interVenientibus omnia in cõpreſsione tanquã efficiente proximâ terminentur: At quomodo ſingula inter ſe conſpirent, & unâ parte perturbatâ, alia remotior in conſenſum trahatur, id verò ejuſmodi eſſe arbitramur, ut an citra probabilitatem ἀκριβεστάτως explicari poſsit, valdè dubitemus.

LVIII.

Præter ea, quæ per ſe formam introducunt, accedunt alia, quæ actiones cauſarum jam expoſitarum quaſi adjuvant. E numero internarum, reſpectu animæ, mollities eſt, animusq́ effæminatus.

LIX.

Reſpectu corporis, partium retentrix imbecilla, earundem laxitas plus humoris imbibens, faciliusq́ compreſsionem patiens.

LX.

Hûc inprimis referimus carunculam lachrymalem, vel imbecillam, laxam, vel juſtò minorem, ſive naturâ, ſive vi hoc evenerit.

LXI.

Ad utrumq́, corporis ſcilicet partes et animum, ſpectat conſuetudo: namq́ puellæ: Vt flerent oculos erudiêre ſuos.

LXII.

E numerô externarum ſunt acria, ſive commeſta, ſive foris occurſantia, venti aquilonares &c.

LXIII.

De quibus omnibus ſciendum in aliquali latitudine ea accipienda eſſe: nec talia eſſe, quæ veras lachrymas ſola producant, ſed cum veris cauſis concurrentia, expreſsionem promtiorem & faciliorem reddant. Hæc de cauſis.

LXIV.

Subjectum intuentibus manifeſtum eſt: ſunt hoc oculorum anguli majores ῥαντῆρες appellati: & in his carunculæ lachrymales

les dictæ, ad has enim expreſſum humorem hærere, ab yſdemq́ mole ſua decidere, cuivis eſt obvium.

LXV.

Subjecta reliqua, quæ cum hoc quàm proximè concurrunt, ſupra jam attigimus: eaq́ non effecti, ſed cauſarum ſubjecta nominanda eſſe, tùm innuebamus.

LXVI.

Huc usq́ ea, quæ ponere placuit: ſequuntur ex poſitis collecta.

LXVII.

Colligemus autem quædam è poſitis, tùm ſeorſim, eodem quô ſupra ordine, tùm ſimul ſumtis.

LXVIII.

Ex dictis de materia colligitur: cur ſemel orſi non perpetuò lachrymemur, quemadmodum arboribus liquor perpetuando deſtillat.

LXIX.

Facilè in lachrymas ſolvi, temperamentô et cerebrô inprimis humidiori donatos, quales ſunt ad muliercularum temperiē quàm proximè accedentes: quibus accenſentur ſenes & pueri: hi enim æquè ad ridendum quàm flendum ſunt promtiſſimi.

LXX.

Illos etiam, qui victu utuntur humidiore, ac inprimis compotationibus crebris, et hauſtibus ad imum usq́ factis, ſunt dediti: hi ſi non vitæ humanæ, ebrietatis tamen, in quâ vivunt ſtrenuè, miſeriam deplorare creduntur.

LXXI.

Nec omninò à januâ aberraſſe eos, qui prætendebant, ità generari materiam lachrymarum, ſi viſcera occupata et perturbata, vapores ſurſum mitterent, ex quibus humor colligeretur, cùm, ſi non ſimpliciter, aliquatenus hoc verum ſit.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

LXXII.

Et ratio eſt, cur non ſemper quoties volumus lachrymemur; cùm materia lachrymarum vel nulla fuerit, vel tanquam indeterminata, urinarum, aut ſudorum inſtar eruperit.

LXXIII.

Deniq; cordis compreſſionem non levem cauſam eſſe, ut materia ad fluendum aptior reddatur: idem de ſpiritibus ex perturbatione commotis, eſto judicium.

LXXIV.

Ex iisdem, de diviſionibus adduci ſolitis, ſtatuere poſſumus: dubitamus enim an illa in lachrymas calidiores & frigidiores, ſit ſpecierum præciſè oppoſitarum.

LXXV.

Magis ambigimus de illâ, quâ quædam aridæ appellantur, quædam ſalſæ: quædam corrodentes: aliæ tenues, aliæ craſſæ.

LXXVI.

Cæterum diſtinctio lachrymarum in ἑκουσίας καὶ φυσικὰς, tàm lata eſt, ut conſiderationem præſentem excedat.

LXXVII.

Ex iis quæ de formâ dicta ſunt, facilè elicientur ea, quæ in ſequentibus habentur.

LXXVIII.

In tali videlicet contemplatione ſermonem nobis fuiſſe de lachrymis, quæ ab animi πάθεσι dependent, quas vè parum curat Medicus: & hoc ſenſu non malè à Plinio prolatum: Animum habitare in oculis.

LXXIX.

Perturbationes verò hìc audiendas eſſe non concitatiſſimas: cùm conſternationibus nimium ſubitis attoniti reddamur potiùs, quàm in lachrymas ſolvamur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

LXXX.

Homonymicè brutis tribui lachrymas: magis impropriè plantis.

LXXXI.

Exindè, ſi vel crocodylus majori ac hyena ſolet, cum ejulatu lachrymari dicatur: ac cervorum lachrymas in lapides induruiſſe compertum ſit, veras tamen utrisq́ non eſſe.

LXXXII.

Obſtinatos, animô durô, excelſoq́ præditos non facilè in lachrymas ſolvi: contra accidere mulierculis, ac illis, qui iſtarum animum ſunt ſimiles: de quibus dubium eſt, promtiusnè ridere, quàm flere queant, vel ad voculam unam.

LXXXIII.

Veras lachrymas tàm ægris, quàm ſanis, ſæpè competere: et in illis laudabiles eſſe, non malè præſagire medicos.

LXXXIV.

Si præter hæc, quæ animi magis fuerunt, alia, quæ ſubjecti ſunt, intueamur, patet, laxitatem partium inter efficientes per ſe proximas referri non debere: neq́ expultricem: idem judicium eſto de dilatatione: niſi fortè quiſpiam, tàm eſſet mirificus, qui ſimul ſorbere & flare, flere & ridere queat.

LXXXV.

Ratione objectorum valdè nobis ſuſpectæ ſunt lachrymæ propter opimam hæreditatem factæ: & fletus ad tumulum novercæ, ſimilesq́: quemadmodum illorum, qui numis conducti, ac lachrymis præfecti, ejulatus inſignes edunt.

Hactenus de ſeorſim ſumtis.

LXXXVI.

Si ad ea, quæ in antecedentibus poſita ſunt univerſa, mentem reflectamus, non apparet cauſa juſta tantæ admirationis in Plinio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

Plinio de lachrymarum copiâ: cum illam cauſæ, earumq́ ſubjecta tanto cum numero facilè patefaciant.

LXXXVII.

Et quod ſigillatim antea: nunc univerſè concluditur: Mulieres & pueros facilè in lachrymas ſolvi, propter concurſum requiſitorum ad lachrymas omnium.

LXXXVIII.

Vt nolentibus ſimpliciter nullæ, ita volentibus quandoq́ erumpunt, quandoq́ non erumpunt lachrymæ: nunquam tamen niſi volentibus.

LXXXIX.

Homini itaq́ competit, & omni, & ſoli, & ſemper, ut verè lachrymabilis ſit.

XC.

Vt finem imponamus tandem; de fine παρέργως pauca, de quô alij pluribus.

XCI.

Eſt is principalis, & minus principalis. Ille, ut animi dolorem lachrymis exponamus, quo conſilio nonnunquam ejulatum addimus: hunc alleviatio quædam ſequi videtur.

XCII.

Hic, ut debitô modô erumpentibus lachrymis, abundantior humiditas à partibus inprimis nobilioribus tollatur.

XCIII.

At qui hoc ſolo fine lachrymantur lubentiùs, ut ſuperfluam humiditatem expurgando, ſibi voluptati & emolumento ſint, ijs eam precamur felicitatem, quam ex lachrymis ſe ſperare poſſe putant, utq́ fæmellarum inſtar creberrimè plorent, lubenter concecedimus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

Coronidis Vice Quæritur.

I.

An ex mœrore fiant lachrymæ calidæ?

II.

An ſi lachrymas quendam ſudorem definivit Philoſophus, materiæ indeterminatæ intuitu tantùm hoc fecerit?

III.

An voluntas in lachrymas habeat merum imperium?

IV.

An cauſæ per naturam falſæ veras producant lachrymas?

V.

An non benè ſe opponat Ariſtoteles Hippocrati, denegans editis in lucem riſum per vigilias ante diem quadrageſimum?

VI.

An ἀπνευστὶ bibentes tanto cum ſucceſſu, ut guttas in ſede lachrymarũ largè erumpentes detergant, verè lachrymentur?

VII.

An non verè etiam lachrymarentur canes ſi ratiocinari poſſent?

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]

1420.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1420 4° [10,-274]